DE COLICA SATURNINA ET USU MEDICAMENTORUM PLUMBEORUM THERAPEUTICO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. JULII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES BUXTON

ANGLUS.

Opponentibus:

EDUARDUS KRIEGER, med. et chir. Dr.

G. MAYOR, med. et chir. Cand.

R. M. LAWRANCE, med. et chir.. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

ARMINIO QUINCKE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD FRANCOFURTENSES FELICISSIMO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR

DE COLICA SATURNINA ET THERAPEUTICO MEDICAMENTORUM PLUMBEORUM USU.

Mirandum est, quod, quo magis desideria nostra amplificare tentamus, eo magis variis malis submittimur. Nautae, aedificatores, chemici, anatomici, multique alii, opificiis suis in periculum adducuntur, inter quos etiam, qui in metallorum usu et praeparatione versantur, numerandi sunt.

Complura metallorum maxime sunt virulenta, quanquam incertum est, num sint regulina. Liceat argentum, zincum, cuprum, ferrum, arsenicum et hydrargyrum memorare, attamen metallorum, cujus effectus maxime sentiuntur, est plumbum, de quo disserere constitui.

HISTORIA.

Plumbum veteribus bene notum fuit, nam Moses et Homerus ejus mentionem faciunt, et Hippocrates ejusdem externam applicationem commendat. Effectus plumbi, interne sumpti diu innotuerunt, si quidem Nicander, qui trecentis annis ante Christum vixit, descriptionem accuratam symptomatum tradidit, quae doses majores subsequi soleant, colicam paralysinque Saturninam commemorans. Galenus, Celsus et Vitruvius, Romanus architectus celeber, effectus ejus noxios timuerunt; sed ejusdem receptionem frequentem in corpus recentiores demum observarunt.

Quamobrem plumbeis vasis ad liquores acidos coquendos et servandos non utendum esse, primus Georgius Baker, eques, perspicue docuit, qui A. D. 1767 collegio medicorum Londinensi nonnulla scripta praelegit, causas historiamque morbi exponentia, qui plumbo in corpus ingesto exoritur, et vulgo colica e plumbo, sive Damnoniensis, propter vastationes in Damnonio et provinciis vicinis, nominatur.

Ejusdem sedulis aptisque investigationibus compertum habemus, plumbum colicae Pictonum causam esse. Morbus etiam a regionibus quibusdam vocatur, nempe, Surinamensis et Indica occidentalis, nec non pictorum, qui saepe eâ afficiuntur. Mirari licet, causam ante finem saeculi decimi septimi detectam non esse: reperimus enim saeculo decimo quinto et sexto vina lithargyro saepe esse adulterata; exitumque talis veneficii nonnunquam fuisse lethalem, intelligimus ex legibus hanc ob rem in multis regionibus Germaniae latis, quae hoc delictum morte mulctari jusserunt. Spernebantur illae leges, nam morbus in Germania, Gallia, Anglia viguit, etsi causa jam erat indicata.

De ejus origine opiniones discrepabant. Paulus Aegineta, qui in quarto saeculo vixit, contagium suo tempore oriens, et symptomata colicae plumbicae exhibens, a tenuibus humoribus repetendum censuit. Citois, qui A. D. 1617 archiater regis Galliae erat, et egregiam descriptionem historicam colicae Pictonum edidit, eique hoc nomen imposuit, ex vinis austeris illius provinciae originem hujus morbi deduxit: necnon Wepfer et Cato, qui

ante eum vixerunt, vinorum adulterationem verisimillimam mali causam duxerunt. Vera tamen causa a Germanis inventa est, qui sub finem saeculi decimi septimi hanc colicam, tunc temporis in civitate Wurtembergensi grassantem, a lithargyro vinis austeris addito pendere statuebant. Inde a Citoisii aetate colica Pictonum in omnibus scriptis medicis commemoratur.

COLICA PICTONUM.

Citois eam narrat in Pictavia A. D. 1572 apparuisse. Post sexaginta vel septuaginta annos ad alias Galliae partes, ut Parisios et Aurelianum translata est. Tum morbus non erat novus, plures enim scriptores, inter quos Paracelsus, ejus symptomata exposuerunt.

COLICA DAMNONIENSIS

imprimis a Doct. Musgrave circa A. D. 1700 observabatur, qui cum successore suo, Doctore Huxham, immaturorum pomorum succis, vel sali in iis contento, eum imputavit. Postea G. Baker, magna similitudine inter plumbeorum medicamentorum effectus et hujusce morbi symptomata animadversa, perscrutationes diligentes

instituit, et experimentis chemicis et observatione ipsa demonstravit, plumbeos tubos, vasa et plumbo ferruminata causam suppeditare, quia plumbi aliquid acido vini malico solvatur. Idem plumbum regulinum ex vino hujusmodi obtinuit.

EXPERIMENTA CHEMICA.

Experimentum facillimum et evidentissimum, quo plumbum adesse probatur, adjecto acidi hydrosulphurico ad liquorem, in quo plumbum solutum est, instituitur; vel minima portiuncula hoc modo detegitur, formata scilicet nubecula atra, tum sedimento, quod sulphuretum plumbi est. Filum etiam zinceum in suspecto liquore suspensum testis est: zincum solvitur et plumbum in arboris forma deponitur.

CAUSAE

hujus morbi non modo vina sunt, sed etiam vinum pomaceum, aeque atque acetum quod in vasis terrenis vitrificatis servatur, et parte quadam vitrificationis soluta, plumbi aliquid continet. Ratio, quae plumbum aceto addere nos jubeat, non extat. Vasa culinaria e plumbo parata, aut intus vitrificata, effectus plumbi noxios

cibis multis impertiunt. Aquam destillatam in plumbeis vasis asservare non licet, plumbum enim cito rubigine obducitur, et aquam noxiam reddit, dummodo aëre non plane arceatur. Aqua pluvialis per plumbeos tubos deducta, aut in plumbeos puteos recepta, pari modo inutilis est. Sed si aqua tantum exiguam calcareae vitriolatae portionem continet, aut salis, quod fluviatili aquae commune est, plumbum non mutatur: qua ratione explicatur, cur morbus non gravius per urbes grassetur. Si igitur aqua fontana mollis est, i. e. his salibus libera, periculum inducimus maximum, si plumbea antlia utimur, cujus rei neglectio saepe morbi occasionem praebuit. In aquae vel spirituum destillatione tubos vel receptacula plumbea adhiberi non oportet; haec enim consuetudo morbum in illis insulis produxit, in quibus observata est, e. g. in Jamaica, Antigua, Bahameis, nec non in oppido Americano Boston. Plumbum aliquando in citri succo a Georgio Baker inventum est, haud dubie a praelis derivandum. Aliam colicae causam praebet habitatio in domo recens picta. Eadem emanare potest ex rebus infantium lusoriis plumbo pictis, quoniam infantes omnia ori admovere so-

lent. Plumbi acetas et alia plumbi praeparata colicam saepe efficiunt, quae interdum pro medicina exhibentur; aliis in casibus fortasse idiosyncrasia, in aliis applicatio plumbi externa.

Aegri non raro hunc morbum frigori aut humori imputant; et certo constat, res accidentales, quamvis nihil praeter saturnum illa symptomata inducere possit, ut nobis videtur, magnam vim in morbum accelerandum vel retardandum exercere.

SYMPTOMATA.

Morbus Saturninus homines omnis aetatis, et utriusque sexus afficit; attamen viri per opificia sua frequentius corripiuntur. Metallurgi, opifices in officinis magnis in plumbo albo et rubro preparando occupati, pictores, figuli, typographi, artifices vitrum conficientes, et omnes, qui ad opificium plumbo utuntur, huic morbo maxime sunt obnoxii. Neque homo tantum corripitur, sed tradunt etiam, pictorum canes et feles colicam, paralysin et convulsiones pati, et ubi magna opera plumbea sint, ibi pisces in venenatis fluminibus mori, mures partim paralyticos inveniri, et gramen et alia vegetabilia

aquae vel vaporibus plumbo imbutis exposita perire. Plumbum etiam cuniculos interimit, et experimentis circa haec animalia institutis Dr. A. T. Thomson sibi persuasit, carbonatem salem plumbi unicum esse, qui venenosus sit, quod citras et subacetas cito in hunc salem mutentur; quare, si pro medicina Saturnum adhibet, cum acido praevalente praescribit. Contra Dr. Christison contendit, alios quoque plumbi sales praeter carbonatem venenosos esse.

Colica variis modis incipit; modo violenter, repente, inopinanter, modo gradatim: facies flava fit, et leucophlegmatica, cum oculorum hebetudine, corporis et animi inquiete, insomnia et anorexia; adsunt interdum ructus frequentes et aliquid nauseae, interdum cum diarrhoea, sed plerumque alvo adstricta, nullis faecibus, scybalis exceptis, permeabili. Haec symptomata oppressionis et plenitatis sensu in regione epigastrica excipiuntur, qui continuo crescit, et postremo permanens et vehemens fit. Vomitiones pituitae acerrimae cum bile et secretis morbosis sequuntur, et sputa plerumque viridia vel flava sunt, quae ex ipsa parte affecta provenire videntur, et levamen transitorium semper afferunt,

sed paulo post dolor idem aut major redit. Plerumque in scrobiculo cordis situs dolor, interdum ab exordio morbi usque ad finem ibi persistit, saepe autem ad regionem umbilicalem descendit, et tanta vi ad utrumque latus transit, ut aegroti cultro discindi sibi videantur: inde ad dorsum et lumbos ruit, et ureterum cursum ad vesicam urinariam sequens, symptomata calculi in vesica haerentis simulat; nonnunquam ad scrotum, inguina et crura fertur; aut mammas, humeros et brachia versus ascendens, vehementi insultui rheumatico similis est, sensu in musculis externis tali semper relicto, ut tactus levissimus, imo tegminum pondus, dolorem efficiat. Duae corporis partes raro eodem tempore laborant, ut dum ventriculus dolore prematur, viscera inferiora plerumque, musculi semper quiescant, et musculis externis dolentibus, abdomen doloris expers sit, et aeger morbum ventriculi sublatum, aut in alium esse convertum opinetur: horis autem tribus vel quatuor elapsis, doloris aeque vehementis reditus ad locum priorem eum de suo morbo certiorem reddit.

Cum dolor prope umbilicum sedem habet, et aeger quasi instrumento se perforari opina-

tur, musculi abdominis interdum in nodos contorquentur, vel cum toto abdomine spinam versus retrahuntur. In hoc statu levamen magnum pressione graviore inducitur: sed aliis in casibus abdomen adeo tumidum et durum est, ut ruptura imminere videatur, tantaque sit sensibilitas, ut tegmen levissimum non feratur. In casibus gravioribus abdomen plerumque retrahitur.

Dolor non post paucas minutas remittit, ut in colicis nonnullis, sed per integras horas eadem atrocitate persistit, nunc cum exacerbationibus, nunc per horas duas vel tres evanescens. Vomitus nisi medicina inhibeatur, tamdiu quam dolor perdurat et si desinit, ructus amari et singultus in ejus locum succedunt.

Calor corporis naturalis hoc morbo non turbari videtur, nullum enim frigus, nulla pyrexia supervenit, nec pulsus morbo manifeste mutatur, quamvis saepe accidat, ut remedia eum accelerat; cutis etiam humida est. Urina maxime variat, neque ad diagnosin quidquam confert, tum naturalis, tum coloris rubri et pellucida, tum sedimenta diversa demittens. Copia

plerumque paulo deminuitur, sed saliva augetur, et coloris subcaerulei est.

Per morbum totum alvus adstringitur, et difficulter solvitur, et excretio cum torminibus jungitur ac cum tenesmo, a sphincteris spasmis proficiscente, qui nonnullis in casibus tanti sunt, ut vix sipho ad enema induci queat. Cum faeces extruduntur, vel medicinae effectu vel naturae conaminibus, parcae, aridae et stercoribus caprinis similes sunt, saepe cum pituita nigra vel sanguine mixtae, alvo autem soluta, dolor valde levatur. Lingua alba est, plerumque humida, vultus anxius.

Sub morbi hujusce finem nonnunquam dolor existit circa pedum margines et usque ad extremos pedum digitos, qui tunc rubri et humidi sunt, velut in arthritide. Aeger interdum abunde perspirat.

Haec sunt symptomata morbi Saturnini frequentissima, sed unum adest, quod in morbo genuino nunquam deesse existimo, nimirum pars gingivarum, quae dentes ambit, colorem caeruleum obtinet, pressioni non cedentem. Hic limbus perstat, dum morbus viget, quo sanato paulatim evanescit, nisi aeger iterum plumbo se

committat. Morte non aufertur, sed colore gingivarum naturali amisso luculentius distinguitur.

Limbus ille si deficit, plumbum corpore non absorptum esse elucet, itaque colicam non oriri posse.

Contra autem limbus tantum plumbum corpori inesse, minime tamen colicam vel paralysin adesse indicat, quod apud eos opifices, qui nunquam illis correpti sunt, videre licet.

Hujus morbi symptomata non semper solito ordine se excipiunt. Dolores musculorum in partibus corporis variis aegrum aliquamdiu vexare possunt, priusquam morbus abdomen aggreditur, et signum primum nonnullis in casibus paralysis musculorum brachii, vel paroxysmus epilepticus, vel insania temporaria est, quae apud artifices plumbum album parantes frequentissime observatur.

Etsi morbus levis est et bene curatur, raro tamen ante quartum, quintum, vel sextum diem tolli potest, saepe multo diutius protrahitur; si vel gravior est, vel perperam tractatur, quinque vel sex hebdomades, immo menses perdurat, intervallis dierum aliquot nonnunquam interpositis, et vel paralysi propria, plerumque

brachia afficiente, vel surdidate, caecitate, delirio, vel paroxysmis epilepticis lethalibus terminatur.

COLICAE SEQUELAE.

1. Paralysis.

Haec paralysis formam morbi chronicam apud G. Baker sistit. Raro apparet, priusquam aeger ter quaterve colica laboraverit: manus vel firmiter comprimere, vel extendere nequit, ita ut pendeant; tactus autem integer manet. Queritur etiam de doloribus brachiorum vel humerorum et crurum, cum malleolorum debilitate. Genua ut in senectute flectuntur, membra contrahuntur et partes musculares, praecipue thenar, tabescunt. Alvus ad obstipationem prona est, et quod »linea plumbea super gingivis« vocetur, clare ostenditur. Jam, si nec venenum ab aegroto arcetur, nec medicina morbum tollit, respiratio fit difficilis, ex atrophia musculorum respirationi inserventium, aeger misere attenuatur et post molestias protractas, apoplexia vel convulsionibus moritur.

Paralysi crura interdum afficiuntur, vel etiam vocis organa, remanente tantum susurro.

Per vitam haec persistere potest, et nonnunquam si vox repente redit, colicae paroxysmus novus statim sequitur, qui non prius desinit, quam paralysis denuo apparuerit. Hemiplegiae tam similis esse potest, ut natura ejus dubia reddatur, nisi gingivas intuemur.

2. Gutta serena et coma.

Sequelae colicae aliae sunt gutta serena, et affectio comatosa, seu dilirium mite.

3. Effectus alii.

Praeter colicam et paralysin, plumbum frequenter alios quoque morbos producit; nam qui jam per annos multos in plumbo occupabantur, neque colicam patiebantur, plerumque valde emaciantur, et tussi, raucedini, asthmati, atque haemoptysi submittuntur. Praeterea membrorum debilitati cum doloribus chronicis et circum artus fixis, sine colica vel alvi obstipatione, plumbum ansam praebere porest.

PHYSIOLOGIA.

Nunc quomodo plumbum corpus afficiat, disquirere licet. In membranas mucosas, e. g.

urethrae, vesicae, intestinorum, oris, tanquam adstringens et sedativum agere videtur. Hac parte hydrargyro contraria est ejus efficacia, quippe quod easdem telas, quanquam non solas, excitet. Hunterus censuit plumbum vasorum omnium et capillarium lumen et actionem diminuere, in qua sententia veri aliquid inesse videtur, nam investigationibus post mortem intestina solito pallidiora et passim constricta inveniuntur. Nullae mutationes aliae morbosae, ceu effectus hujusce colicae animadvertuntur. Praeterea externe adhibitum plumbum eadem ratione inflammationem mitigat, atque topicum effectum sedantem in nervos exserit et dolorem tollit. Hac actione locali fortasse digitorum paralysin, quae typographos ex contactu typorum calidorum adoritur, explicare licet, et paralysis opificum in plumbi usu versantium naturae ejusdem esse videtur.

Porro nervos motorios ipsos Saturnus resolvit, atque ita musculos viribus suis privat, neque tamen nervos sensiferos, quippe qui saepe irritabiliores fiant et magnum dolorem efficiant. Raro est paralysis perfecta, nam reditus virium partialis sequi potest applicationem emplastri ve-

sicatorii super partem, quam nervus adit. Hunterus tradit, musculos pictoris, qui jam paralyses passus mortem obierat, colorem naturalem amisisse, et musculis, aqua Goulardi maceratis similes fuisse. Inde ratiocinatur »plumbum cum sanguine ad musculos ipsos deferri.« Casum G. Baker examinavit, in quo »musculi albescentes, et valde macilenti fuerunt.« Causis duabus musculorum macies adscribi potest, 1) defectui exercitationis 2) effectui, quem plumbum in istos exhibet.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Distinguitur colica Saturnina ab enteritide vel peritonitide, pulsu non accelerato et doloribus abdominis pressionem ferentibus, immo ea mitescentibus. Uterque morbus colicae Saturninae supervenire potest, quo facto pressio dolorifica, diarrhoea et pulsus frequens apparent. Cum hoc symptomata evanescunt, iterum conspicitur colica aut paralysis.

Dolores plumbo effecti a rheumatismo chronico discernuntur linea caerulea gingivarum, immutabilitate et tumore, rubore, aut doloribus

post tactum deficientibus. Tamen rheumatismus et hi dolores saepe conjunguntur.

Paralysis Saturnina a paralysi apoplectica dignoscitur debilitate inducta gradatim progrediente, et membris affectis vix unquam omni motu privatis.

CURATIO.

1. Colicae.

Et in colica et paralysi indicatio prima ejusmodi est, ut ab aegro venenum arceatur, inde purgantibus promptis alvus solvatur. Aliis primum oleum ricini datur; aliis magnesia sulphurica, cum infuso sennae, aliis calomelanos grana quinque cum opii grano, tum magnesiae sulphuricae drachmae singulae per intervalla, donec alvus secedat. Opium cum purgantibus multum prodest, quod dolorem et spasmum mitigat, et somnum arcessit: morbum vero augebit, si prius datur, quam purgantia adhibita sunt. Post alvi solutionem, si perstet dolor abdominis, emplastrum vesicatorium plerumque eum tollit.

Si vomitus pituitae acris extat, potum ex infuso chamomillae calido dari oportet; verum

emetica fortiora vel drastica nunquam adhibeantur, quod ambo viscera jam multum turbata irritant. Auxilio etiam sunt enemata et balneum calidum, praecipue priora, nam balnea fugax tantum levamen praebent.

Sanguinis detractio universalis nunquam pulsu indicatur, et multum vituperanda est,* molestias enim multo graviores reddit, et aegrotum infirmatum vi residua privat; sed detractio sanguinis localis post alvi solutionem saepe ad dolorem auferendum prodest. Hirudines ad partem abdominis dolentem applicatae remedium praestantissimum sunt, si colica cum peritonitide vel enteritide complicata est.

Diaphoretica perniciosa habentur, quod symptomata febrilia adducunt, neque ullo modo utilia sunt.

Dum aeger convalescit, alvum aperiente salino duci debet, ut magnesiae sulphuricae drachma dimidia vel drachma bis vel ter per diem, prout vires expostulant. Aquae Bathenses maximum usum ad alvi actionem normalem reducendam et vim restituendam praebere solent. Diaeta lactea est optima, qua uti oportet, donec colica omnino cesserit. Natura alibili aegrum

sustinet, neque irritando injuriam infert. Si aegri vestes plumbo impraegnatae sunt, usu earum curatio vel impeditur vel multum retardatur.

His modis, qui optimi habentur, colica Londini plerumque curatur; nunc aliarum quoque methodorum, quae laudatae, et cum fructu adhibitae sunt, mentionem breviter faciam. In provincia Derby, qui in fodinis operam faciunt, quotidie kali tartarici unciam vel unam cum dimidia sumunt, et quasi specificum remedium aestimant, aeque atque aliis sulphur egregium videtur.

In nosocomio caritatis Parisiensi mos vigebat, primum enema aperiens exhibendi, post horas nonnullas alterum, opium et antispasmodica alia continens. Mane proximo emeticum dabatur, et repetebatur, donec vomitus supervenisset, et tempore vespertino potus e speciebus diaphoreticis paratus. Tertio die nihil dabatur, quarto autem mane purgans ex jalapa, bis vel ter repetitum, diebus tribus et quatuor interpositis. Quae methodus saluberrima habebatur, quod paralysin vel epilepsiam prohiberet, si priusquam hae apparerent, adhiberetur; nobis autem nimis austera et implicata videtur.

2. Paralysis.

Curatione simili, quam colica, paralysis impugnanda est; diaeta lactea, aperientibus mitioribus, praecipue oleosis, sed per longum tempus his remediis utamur necesse est; cum vitae ratione strenua. In hac non minus quam in colica aquae Bathenses valetudinem saepe instauraverunt, cum remedia alia non profuerant. Balnei calidi usus frequens curationem adjuvat, et Citois narrat balneum frigidum maxime profuisse, imo temporibus anni gelidis.

REMEDIA LOCALIA.

Nonnulla irritamenta externa, ut emplastra vesicatoria nuchae, humeris, brachiis, antibrachiis, vel partibus aliis dolentibus imposita, prosunt: nec non alia, ut oleum crotonis et liquor ammonii caustici, dummodo evaporatio impediatur. Dr. Elliotson aliique contendunt, electricitatem ad partes paralysi laborantes applicatam, stimulum optimum esse: contra G. Baker electricitatem negat in hoc casu vim exercere.

In paralysi corporum imperfecta, cum manuum flexione, laminae ligneae, angulo obtuso flexae, a Dre. Pemberton commendatae, quae

manum bene extensam retinent, praesidium magnum musculis extensoribus exhibent, eosque ad recuperandam contractilitatem et energiam adjuvant. Auxilio extensores egent, quum plerumque multo debiliores quam flexores sint, et alias in perpetuum laxi maneant. Oportet etiam musculos exerceri, pondera attollendo et ferendo, quae pro aegroti viribus augeantur.

RATIO COLICAM ET PARALYSIN VITANDI.

Qui Saturni efficaciae se committant necesse est, his tutelam optimam praebent maxima munditia, diligentia vestes, quibus inter labores utuntur, exuendi dum feriantur, manuum et faciei lotiones ante coenam, victus pinguis, adiposus, oleosus. Haec bene nota sunt eis, qui in fodinis plumbeis operam faciunt, et consuetudo pictoribus communis est, jus carnium pingue, butyrum vel oleum quovis mane, antequam opus incipiunt, sumendi.

DE USU MEDICAMENTORUM PLUMBEORUM THERAPEUTICO.

Quidam credunt, haec praeparata interne

sumpta periculum afferre, adeo ut ea non debeant dari; attamen applicationem externam periculi expertem esse.

AQUA GOULARDI.

Dr. Wald affirmat: »chirurgos aquam Goulardi ad tumores inflammatorios et induratos cum fructu applicasse in casibus, in quibus methodi aliae frustra adhibitae fuerint. In hernia humorali maxime utilis est, et interdum ulceribus putridis medetur, sed nonnunquam alvum turbat, colicam inducens. Plerumque inflammationes cito levat, nec non luxationibus et contusionibus haec lotio cum portione spiritus vini magnum auxilium affert, et tumescentiam et tensionem citius quam alia remedia usitata minuit.« Observationibus recentioribus haec sententia abunde confirmatur. Cum spiritu vini saepe ad caput, rasis capillis, applicatur, si sanguinis impetus eo ruit: multis aliis in casibus tanquam adstringens et sedativum validum administratur. In combustionibus diffusis et gravioribus vitam servat, dolorem, inflammationem et irritationem nervorum deminuit. In plus quam quinquaginta casibus, in quibus lotio ex plumbo copiose ap-

plicata est, nullus colicam tulit. Linteum in liquorem immersum parti affectae imponatur. Dr. Vetch etiam aquam Goulardi in inflammationibus conjunctivae ad sanandam hujus membranae suppurationem largam impense commendat: unicum hoc remedium invenit, quod in opacitate corneae vi sua adstringente utilitatem praestitit; sequelas noxias, velut irritamentum non excitans; affert tantum sensum fugacem arenae in oculo, sin vero diluitur, saepe multum caloris et doloris pungentis efficit. Aqua diluta praeterea, ut gargarisma adstringens et refrigerans pro faucibus relaxatis, pro ore et gingivis scorbuticis, i. e. spongiosis et sanguinem pressione effundentibus, adhibetur. Nigrum sedimentum, quod plumbi sulphuretum est, super dentibus relinquit, si per longius tempus porrigitur, praecipue si superficiem asperam, v. c. ex tartaro, habent. Sulphur in sulphureto ab acido sulphocyanico salivae proficiscitur. In inflammationibus et catarrhis membranarum aliarum mucosarum forma injectionum prodest, ut in urethrae vel vaginae blennorrhoeis chronicis, eademque ratione nonnunquam contra menorrhagias in vaginam in-

funditur. Ut adstringens liquor sacchari saturni multum praestat utilitatis.

UNGUENTUM PLUMBI.

Plumbum forma unguenti multum administratur, ut in combustionibus, in ophthalmia chronica, cum secretione lacrymarum aucta, ita ut pro tegmine cutis excoriatae et adstringenti serviat; saepe loco aquae saturninae ulceribus irritabilibus admovetur.

G. Baker nonnullos casus commemorat, in quibus colica usu plumbi externo forma solutionis vel unguenti orta est. Sunt autem casus rarissimi, attamen curam et prudentiam necessarias esse ad absorptionem impediendam demonstrant.

USUS SACCHARI SATURNI INTERNUS.

Primus, qui interne plumbum dedit, fuit Paracelsus, qui hoc saccharum talibus adhibuit dosibus, ut plus mali quam boni nasceretur. Postea ejus usum tam frequenter colica secuta est, ut medici eo uti dubitarent, donec Dr. Henricus Reynolds, Londinensis nosocomii Sancti Thomae medicus, doses opii parvas adjun-

gendas commendavit. In haemoptysi, epistaxi, et haemorrhagia uteri utile reperit. In haematemesi et sanguinis fluxu ex intestinis colica multo frequentius ex ejus usu oritur, quam in morbis pectoris et vesicae.

Dr. Latham saccharum saturni in phthisi et bronchitide chronica opem tulisse demonstravit. In diarrhoea chronica datum quidem est, sed remedia fortiora hanc sistentia habemus.

Liceat mihi tabellam addere, in qua casus Londini in nosocomio St. Thomae observatos adnotavi. Quantum sacchari saturni ab aegrotis et intra quod tempus sumptum sit, quo morbo laboraverint, quem effectum praestiterit remedium et quo tempore limbus gingivarum apparuerit, tabula indicat. Omnibus his in casibus plumbum cum opio vel pulvere Doveri junctum praebebatur.

Nomina aegrotorum.	Nomina morborum.	Quantitas sacchari Saturni sumpti.	Tempus quo apparuit limbus.	Remedii portio post limbi introitum data.	Dierum numerus.	Copia plumbi in universum sumpti.	Effectus.
Jer. Bryan	haematemesis	grana 15	die 4				Colicae gradus levior.
Carter	haemoptysis	- 66	- 11	grana 100	dies 18	grana 166	Sensus rosionis circa epigastrium. Paulum doloris in ventre, qui medicina aperiente indigebat. Conditio morbi pectoris melior.
Hamilton	phthisis	- 70	nullus (die 14)				Nullus.
Ricketts	haemoptysis.	- 30	- 10	grana 12	dies 7	- 42	Pauxillum doloris colici.
Bevan.	do.	- 96	- 12	- 112	- 14	- 208	Dolor transversus per epigastrium, motu quidem, sed non pressione auctus. Alvus obstructa, nisi medicina daretur.
Godsell.	do.	- 160	- 21	- 135	- 12	- 295	Alvus ad obstipationem prona.
Roach	do.	- 24	- 4	- 18	- 3	- 42	Idem.
John Bryan	do.	- 56	- 7	- 56	- 7	- 112	Tussis at expectoratio diminutae.
Anna Pearcey	do.	- 21	- 7	- 21	- 7	- 42	Idem.

Quanquam nonnullis per aliquod tempus remedia utilitatem tulerunt, tamen fere omnibus mors deinceps supervenit, reliquos aegrotos non potuimus prosequi, quia nosocomium reliquerunt. Notatu etiam dignum est, Godsell, qui fer drachmas quinque sumpsit, nunquam dolorem v[l] colicam passum esse.

INDEX LIBRORUM, QUIBUS AD CONSCRIBENDAM DISSERTATIONEM USUS SUM.

Christison on Poisons.
Medical Gazette for Sept. 1832.
Sir George Baker's Historical Account of the Colic of Poitou; and Inquiry into the Causes of the Devonshire Colic. Med. Trans. vol. I. and
Further Inquiry into the same. Med. Trans. vol. 3.
Hunter's Works, edited by Palmer. Vol. III.
Dr. Elliotson's Principles and Practice of Medicine.
Dr. Vetch, On diseases of the Eye.

VITA.

Ego Joannes Buxton natus sum Londini die XIV. mens. Junii a. MDCCCXIX, patre Isaaco Buxton, medico, quem a. MDCCCXXV fata acerba mihi eripuerunt, matre carissima Joanna, de gente Travers, quam pariter defunctam lugeo; ecclesiae addictus sum Anglicae, quae Independentium vocatur.

Inde a pueritia usque ad vitae annum decimum sextum in schola Collina Molinensi literarum primordiis imbutus sum, tum viro doctissimo et clarissimo Bean, medico, me tradidi eoque duce per tres annos in materiam medicam, pharmaciam, chemiam, aliasque disciplinas medicas propaedeuticas incubui. Deinde per tres annos et dimidium scholas medicas frequentavi, a collegio chirurgorum Londinensi et ab examinatoribus s[illegible]atis pharmacopolarum constitutas. Complura praemia et testim[illegible] diligentiae [illegible]nsequutus, mense Augusto a. MDCCCXLI, cora[illegible]minatoribus [illegible]cietatis pharmacopolarum examina absolvi; qui[illegible]eractis pra[illegible]icandi licentiam obtinui, nec non m. Novemb[illegible]dem anni [illegible]am examinatoribus collegii chirurgorum Lond[illegible] examina [illegible]irurgica superavi. Praxin chirurgicam per bienn[illegible] semestre, [illegible]edicam per annum et dimidium in nosocomio St[illegible]hac exer[illegible]ui. In hoc nosocomio scholas sequentes et theore[illegible] practicas frequentavi: de anatomia, physiologia et cadav[illegible]ectionibus apud Cel. Mackmurdo et Solly, demonstr[illegible] anatomicas audivi apud Exper. Clark et Travers, de [illegible] apud Cel. Philips, de materia medica apud Clar. Bu[illegible] praxin chirurgicam ducibus Exp. Travers, Green, Tyrr[illegible] South didici. De botanice Cel. Cohen, de principiis et [illegible]axi medicinae Exp. Williams, de chirurgia generali et oph[illegible]miatrice Clar. Travers et Tyrrell disserentes audivi. Prax[illegible] medicam ab Exp. Williams, Burton, Lister et Barker didici; in arte obstetricia, in morbis mulierum et infantium C[illegible] Cape; in medicina forensi Cel. Lister et Barker me erudiverunt; in chirurgia practica per annum dimidium dux mihi fuit Cel. [illegible]h. Mense Aprili h. a. Berolinum me contuli, et his scholis [illegible]ui et adhuc intersum: Clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Jüngken, clinico chirurgico Ill. Dieffenbach, clinico paediatrico Cel. Barez; clinico medico Cel. Wolff; lectionibus Ill. Müller de anatomia pathologica; scholis Ill. Busch de capitibus selectis morborum muliebrium.

Quibus viris illustrissimis et praenobilissimis gratias ago maximas et semper habebo. Absolutis tentaminibus medicis et examine rigoroso, fore spero, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Limbum coeruleum gingivarum in colica saturnina semper adesse, et symptoma morbi praestans praebere.
2. Colicam saturninam morbum universalem esse.
3. Cariem dentium maxime a valetudine universali pendere.
4. Helminthes non nasci generatione aequivoca.
